losophorum: Argumenta *ab auctoritate humana etiam affirmativè desumpta, non esse κατ' παντὸς vera, qualis igitur tandem πίστις erit negativorum? Me-Christe nulla.*

15. Jam, quod concernit nostrum quæsitum de μεγαθὴ, judicamus hîc κρίσιν Hieronymianam, omninò consonam esse veritati, dum arbitratur hoc vocabulum magis Syrum, quàm Hebræum esse.

16. Sunt a. duæ distinctę dictiones in codice Græcanico conjunctę, sed in Syriaca nostra versione divisę per מָרָן אֲתָא h. e. Dominus venit.

17. Hujus locutionis enucleationem olim exposui in Lexico meo Syriaco, ex commonefactione Bibliorum Tremell. hisce. *Est hæc extrema anathematis formula, quâ peccator, sine ulla spe veniæ, Christi judicis condemnationi addicebatur, quod aliâs Thalmudista vocant* מָרָנָתָא *dictione composita, ex* מָרָן *domine (nomine autē hoc intelligunt aliâs* Dei *nomen* יְהוָה; *quod illis ἄρρητον) & Imperativo* תָּא *veni, ex præterito* אֲתָא *venit.*

18. Et sic isto Anathemate Ecclesia docuit, se omnibus officii sui partibus, erga virum istiusmodi inobedientem, perfunctum esse; & ab eo deinceps, consilio comuni, abstinere eumq; Dei judicio atq; adventui, ut deploratę inter homines spei, permittere. Hęc ibi.

19. Qui verò aliorum lectionem per Maharammotha (qualis etiam est B. nostri Lutheri) cognoscere quoq; discupit, is adeat fontes Hebræos, quibus חֶרֶם, ex Radice חָרַם detestatus est, anathama sive excommunicationem & desolationem, מוֹת verò mortem denotat.

20. Eo itaq; innuere voluerunt, quòd Ecclesia vera homines istiusmodi χρεοφείλετας morti soleat devovere, eiq; totos mancipare.

Quæ-